circumcisionem. quia circumcisio suscepta a perditione tantum poterat liberare. baptismus vero rena-
tos et ad gloriam perducere potest. Illi autem antiqui patres qui sacramentum circumcisionis in iustificationem per-
ceperunt a perditione quidem servabantur sed ad gloriam regni non ducebantur. donec veniret
ille qui sanguine suo frameam versatilem extingueret. aditum paradisi rursum patefaceret et
cum omnibus sanctis suis regni celestis ianuam precedens ipse primus aperiret. Illud quod baptismus amplius con-
fert quia renatos hinc exeuntes statim ad regnum mittit. quod tamen ex virtute sanguinis
fusi ipsam aquam sanctificantis est donatum. Si vero quis dicere velit ideo circumcisionem baptismo
mutatam ut in baptismo perficeretur quod circumcisio implere non potuit. fortassis et inde convenienter
illi responderi posse. quia licet quod amplius nunc in baptismo est ex baptismo non est sed ex passione Christi baptismum
sanctificante impletum. Inde vero circumcisionem facere potuisse si illi passio Christi in cooperationem
sanctificationis adiuncta fuisset. Nam et in baptismo quantum spectat ad virtutem baptismi similiter ut
in circumcisione remissio tantum peccatorum percipitur. quod autem sic dictum est quod iustificatis per eam aditus pa-
trie celestis panditur crucis Christi donatum. Propterea et huiusmodi rationem aliam mutationis circumcisionis causam
esse meliorem fortasse et manifestiorem magis proponendam putamus. Superius precedentibus quodam loco cum de
sacramentis tractarem diximus sacramenta omnia signa quedam esse eius que per illa datur gratie spiritualis. opor-
tebat autem ut secundum processum temporum spiritualium gratiarum signa magis semper ac magis evidentia ac declaranda
formarentur. ut cum effectu salutis cresceret cognitio veritatis. Itaque sub lege naturali pri-
mum data sunt sacramenta. decimationes sacrificia et oblationes. ut in decimatione quidem peccatorum re-
missio. in sacrificiis vero carnis mortificatio. in oblatione autem boni operis exhibitio signaretur. Sed e-
rat obscurum signum hoc in sacramento decimationis. ubi homo de his que possidebat partem obtulit par-
tem retinuit. ut adhuc modum in eo quod erat quid imperfectionis et defectus fuit sibi tribueret quod vero ad boni-
tatem spectabat deo imputaret. Sed si vellet nonam partem retinente. quia novenarius signum
perfectionis est a denario perfecto deficiens. Propterea autem quia obscurum signum fuit emendationis in de-
cimatione data est circumcisio que virtutem iustificationis evidentius demonstraret. quando dictum est homini ut
portionem carnis sue non quod superfluam sed illud quod superfluum erat in homine signum auferret. ut per hoc
agnosceret quia culpam quam innatam per illam partem corporis traheret. quia per sacramentum circumcisionis emen-
daret. Sed quia circumcisio eas tantum que foris sunt enormitates amputare potest. eas vero que intus sunt pol-
lutionum sordes mundare non potest. venit post circumcisionem lavacrum aque totum purgans ut perfectam
iustitiam significaret. Rursum quia prioris populi qui sub timore serviebat mundatio labori-